

& Luc. Severo, ac alios rationales Medicos apud maximos Reges, Imperatores, R. P. non solum eo tempore sed & subsequentibus maxima fuisse in existimatione; in Viros Augustales, cives & amicos Imperatorum, Principum &c. electos; de subsequentium temporum Medicis, multa præclara exempla afferri quoque possent, si chartæ angustia permitteret. (4) Quamvis summa ingratitude & injustitia esset, Medicos veros, insontes & de R. P. bene meritos ex eadem ejicere velle; optandum tamen esset, ut necessaria cura & vigilantia circa Empiricos Saluti R. P. noxios adhibeatur.

§. VII.

Nunc quid sub *Rei Publicæ* nomine intelligam, prius dicendum, antequam ad alteram §. 3. adductam Medicorum querelam me accingam. Intelliguntur nimirum sub hoc nomine *plures hominum societates ad salutem suam promovendam contrahentes*. Hujus enim felicitatem, quæ continuus bonum publicum promovendi progressus est, quod conjunctis obtinetur viribus, *Salutem R. P.* nominamus. Distinctionem quidem de salute quæ Politica dicitur, & Medica quæ hominum sanitatem respicit, facio; sed cum hæc R. P. tam philosophica quam medica salus, in eo; ut ejus promoveatur felicitas, consistat, Empiricos hanc non promovere, sed secundum Cl. LANGIUM (u) turbare, facile est intellectu. Salus vero hæc medica promovetur, si Juris Nat. principium, a Magno ævi nostri Philosopho Excell. D. WOLFIO Patrono atque Præceptore omni honoris & amoris cultu ad cineres usque devenerando, primo (v) stabilitum: *Quod nos statumque nostrum reddit perfectiorem*, observatur. Quod fit, si in sanitatis statu omnes C. H. functiones tam vitales quam

(u) Epist. Med. p. 5. ubi dicitur plures Empiricorum temeritate, quam morbo aut hostis gladio interimi. (v) in Philosophia morali §. 12.